

ALLOQUIUM
AD LECTOREM
RECENTIUS.



Um, ex Bibliopolarum recensione, cognoscerem, ab emtoribus nonnullis desiderata esse tum Psalmi cujusque dispositionem, tum sub junctos usus practicos, instaretque nunc nova operis recusio, deesse nolui bono publico, adeoque in nomine Domini laborem istum in me suscepi, dubius tamen de ejusdem absolute. Sed quæ mira est Dei in imbecillibus potentia, deducta tandem res est ad umbilicum; utinam non sine lectoris ædificatione atque fructu! Quoad Dispositionem nolui Psalmistam ad Logicorum Rhetorumve leges cogere, (quis verò pius hoc auderet?) sed simplicissimè in hæsi ordini verborum. Quoad usus practicos monstrare saltem volui materiarum sedem, ita ut ex Homiliis catecheticis (v. g. B. Danhaueri, Herzogii, Fischeri aliorumque, nec non ex B. Botsacci moralibus, Ravnelli, Flacii similiumque Repertoriis uberior conquiri possit thematum deductio, pro rerum, temporum aut locorum exigentiâ. De cætero benè vale, mi Lector, & ut illic Deum celebres perenniter, mecum suspira in Dominò .JESU devotè.

MARTIN GEIER, D.

IN